

## CAPUT V.

## DE INDISSOLUBILITATE MATRIMONII.

380. Matrimonium *ex parte subjecti* dividi potest in matrimonium inter Gentiles, inter Judæos, inter Christianos : *ex parte sui* vero in legitimum, ratum et consummatum dividitur. *Legitimum* tantum illud est, quod consensu legitimo inter personas non impeditas contractum quidem, rationem tamen sacramenti non participat, quale olim in lege naturæ, et mosaica, ac hodie inter Judæos et Gentiles datur. *Ratum*, sive Ecclesiæ ratificatione approbatum, illud est, quod juxta divinas et ecclesiasticas leges initur a baptizatis, seu fidelibus, inter quos tamen post contractum illud nondum perfecta carnalis copula; atque de hoc intelligenda est regula L. 31. ff. de R. I. quod nuptias non concubitus, sed consensus faciat. *Consummatum*, quod accedente copula carnali perfecta, h. e. ex qua sequi solet et potest generatio prolis, completum est. Porro matrimonii in quolibet ex his sensu accepti indissolubilitas spectari potest vel quoad vinculum, vel quoad thorum; quare de ea sub diversis illis respectibus agendum est.

## ARTICULUS I.

## UTRUM MATRIMONIUM INFIDELIUM SIT ABSOLUTE INDISSOLUBLE QUOD VINCLUM?

381. Questio movetur duplex : I. An matrimonium infidelium qua talium, h. e. quamdiu neuter conjugum ad fidem convertitur, sit penitus indissoluble quoad vinculum, sive consummatum sit, sive non? II. An matrimonium infidelium etiam consummatum dissolvi possit quoad vinculum, si alter conjugum ad fidem convertatur?

382. *Dico I.* Matrimonium infidelium qua talium, sive quamdiu neuter conjugum ad fidem converitur, est penitus indissoluble quoad vinculum, sive consummatum sit, sive non.

*Ratio est*, sine distinctione enim inter matrimonium in Christianismo initum, et quod in gentilitate contractum est, præcipit Christus Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separat*; et Paulus 1. Cor. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*. Et *Conf. c.* *Gaudemus de divort.* ubi jubet Innocentius III. ut paganus conversus ad fidem ex pluribus uxori-bus, quas duxerat adhuc infidelis, priorem tantum accipiat, quamvis dimissam per repudium, et alteri viro postea nuptui traditam; ergo censuit matrimonium in infidelitate contractum esse indissoluble; quid enim alias irrita declararet matrimonia post primum contracta in infidelitate, dum superstites sunt vir et mulier?

383. *Dico II.* Matrimonium tamen infidelium etiam consummatum dissolvi potest quoad vinculum, si alter conjux convertatur ad fidem, alter vero converso vel 1º. cohabitare nolit; vel 2º. non velit, nisi cum creatoris contumelia; vel 3º. eum pertrahendo ad peccatum.

Ita in terminis Innocentius III. c. *Quanto de divort.* Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad peccatum mortale, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit. Fundat vero decisionem suam Pontifex in verbis Apostoli 1. Cor. 7. quæ subjungit ad litteram, et in hoc casu, inquiens, intelligimus, quod ait Apostolus : si infidelis discedit, discedat : frater enim et soror non est servituti subjectus in hujusmodi. Ergo juxta Apostolum interprete Ecclesia, in relatis tribus casibus, uno conjugum ad fidem converso solvi potest matrimonium etiam quoad vinculum. Et profecto si, discedente infideli, vel legitime cohabitare nolente, fidelis teneretur illo matrimonio; hic propter prioris malitiam esset servituti subjectus contra testimonium Apostoli. *Conf.* Cum enim ex una parte fidelis in hoc casu liceat cohabitare non possit; ex parte vero alia Christus neminem sine voluntate, aut culpa propria ad vitam cœlibem obligare voluerit, postulabat æquitas, ut fideli daretur a Christo facultas contrahendi matrimonium aliud: aliter jugum Christi talibus factum fuisse gravissimum, cum non omnes capiant verbum istud Matth. 19. Proinde infideles a fide deterruisset, cuius bonum bono coniugi ilonge majus est.

384. *Obj. I.* Apostolus tantum pro causa assignat infidelis discessum, Innocentius vero assignat plures. *II.* Apostolus per discedat, tantum quoad thorum vel cohabitationem, ut patet ex antecedentibus v. 10. et 11. qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam. Pontifex vero facultatem tribuit illi, qui relinquitur, ad secunda vota transeundi. *III.* Christus Matth. 19. de quocumque legitimo matrimonio, proinde etiam infidelium ait : *Quod Deus conjunxit, homo non separat*. *IV.* Ibid. Qui dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis, mochatur; ergo sola fornicatio erit causa uxorem dimittendi, et quidem tantum quoad thorum, ut dicemus infra. *V.* Concilium Meldense relatum can. 1. 38. q. 2. statut: *Si quis habuerit uxorem virginem ante Baptismum, vivente illa post Baptismum alteram habere non potest; crimina enim in Baptismo solvuntur, non conjugia*.

*Ad 1º.* R. D. Apostolus tantum assignat infidelis discessum physicum et corporis N. etiam moralem C. Etsi infidelis non recedat corpore, cum tamen non velit sine creatoris contumelia permanere, revera recedit, et relinquit fidelem; quia cogit fidelem discedere, cum hic in eo statu liceat permanere non possit.

*Ad 2º.* R. N. *Ant. Ad prob.* R. Hæc: *iis, qui matrimonio, etc.* pertinere ad fideles, a quorum matrimonio postea transit ad matrimonium infidelium, aitque simpliciter et indefinite, sine limitatione quoad thorum : si infidelis discedit, discedat. Propositio igitur illa indefinita etiam discessum quoad vinculum complectitur; et secus, non subsisteret ratio Pauli : *Frater enim et soror non est subjectus servituti in hujusmodi*, quia, si fidelis non

posset discedere etiam quoad vinculum, maneret subjectus servituti, sive matrimonii vinculis, esetque ejus conditio durior, quam ante.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. In nostro casu non separat homo, sed ipse Deus: Christus enim hanc facultatem dedit in favorem fidei, cuius interpretem habemus Apostolum, Ecclesiam, et rationem.

*Ad 4<sup>um</sup>.* R. Cum S. Aug. L. 1. de adulterin. Conjug. c. 1. et 2. Christum ibi loqui de matrimonio inter fideles, sicut et Paulus in iis locis, quibus dixit, matrimonium sola morte dissolvi; solum enim matrimonium fidelium representat perfectam unionem Christi cum humana natura et Ecclesia indissolubilem, ex quo ipsi vera et absoluta indissolubilitas tribuitur.

*Ad 5<sup>um</sup>.* R. Concilium loquitur de uxore, quae pariter ad fidem conversa sit; vel de uxore, que pacifice cohabitare velit, et sine creatoris injuria. Quod autem ibi dicitur de uxore virgine, valet etiam de corrupta; sed ita statutum fuit, quia quasi sit de virgine, ut notat Glossa.

385. *Dico III.* In praesenti statu Ecclesiæ, quo infidelis conversus non permittitur ex consuetudine recepta et inducto præcepto Ecclesiæ habitare cum infideli cuiusvis sectæ, etiam videtur probabilius posse solvi matrimonium quoad vinculum, si pars infidelis converti nolit, licet de cætero pacifice cohabitare vellet.

*Ratio* iterum petitur ex verbis Apostoli cit. Ideo enim potest solvi matrimonium in casu conclus. præc. quia, dum aliter cohabitare non vult pars infidelis, hoc ipso discedit moraliter, cogendo partem fidelem ad discessum, cui illicita est talis coabitatio: atqui etiam nunc ex ipsa consuetudine recepta et inducto præcepto Ecclesiæ illicita est conjugi converso coabitatio cum infideli, si hic converti noluerit; ergo nolendo converti præcise jam moraliter discedit infidelis, consequenter conversus prioris matrimonii servituti etiam nunc subjectus non manet. *Conf.* Ex iisdem incommodis, quæ præc. conclus. attulimus; si enim in hoc casu conversus non posset transire ad alias nuptias, absque sua culpa vitæ cœlibi maneret adstrictus, quod ex infidelitate conversis accideret gravissimum; unde lex Christi ipsis durissima evaderet, ac facile a conversione revocarentur.

*Dixi:* in praesenti statu Ecclesiæ; triplex enim Ecclesiæ status distingui hic debet. *Primus* statuitur ab Apostolorum tempore usque ad seculum VI. quo statu frequentes erant infidelium conversiones, ac permittebantur fideles conversi coabitare cum infidelibus juxta consilium Apostoli: *Si quis frater uxorem habeat infidelem, et hec consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* *Secundus* est a seculo VII. quo Galli et Hispani congregati in Concilio Toletano IV. anno 650. statuerunt can. 62. relato c. *Judæi*, caus. 28. q. 1. ne conjuges fideles habitare permetterentur cum Judeis converti renuentibus; de aliis vero infidelibus tum nihil decretum fuit. *Tertius*, quo tandem Ecclesiæ consuetudine ac præcepto receptum est, non esse permittendum, ut conjux ad fidem conversus cum infideli cuiusque sectæ cohabitet, quod experientia compertum eset, non leve esse perversioris periculum ex fidelis cum infideli consortio. Neque huic Ecclesiæ præcepto adversatur Apostolus cit. *si quis frater uxorem habeat infidelem*, etc. hoc enim Apostoli dictum nequaquam præceptum divinum est, sed merum consilium Pauli, et ad summum præceptum humanum, ut constat ex loquendi modo, quo Paulus

utitur: *cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habeat infidelem, etc.*

386. *Obj. I.* Apostolus solum permittit converso secundas nuptias propter discessum physicum, vel moralem infidelis; sic enim interpretatur Apostolum Innocentius III: atqui talis discessus non habetur, dum infidelis consentit cohabitare pacifice. *II.* In dubio, an infidelis conversus sit liber a matrimonii vinculo, infidelis converti nolente, standum est pro valore et indissolubilitate matrimonii; infidelis enim jure naturali et divino in possessione est. *III.* Matrimonium inter fideles contractum solvi non potest, etsi alter conjugum fiat hereticus, aut apostata, ut constat ex c. *Quanto* cit. de divort. et Trident. Sess. 24. can. 5. ubi definit: *Si quis dixerit propter heresim dissolvei posse matrimonium, anathema sit*; ergo neque in nostro casu dissolvi potest.

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. N. min. 1<sup>o</sup>. Ob rationem conclusionis. 2<sup>o</sup>. Quia periculum perversionis, ubi jam rarer est conversio, cedit in contumeliam fidei, et creatoris; igitur jam discessus moralis est: imo et 3<sup>o</sup>. Innocentio ipsimet paria sunt, velle cohabitare remanendo in infidelitate et cohabitare cum creatoris contumelia; postquam enim dixisset c. *Gaudemus* de divort. *Nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris*; paulo post subdit: *Quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur (adeoque jam velit cohabitare sine creatoris contumelia) eam recipere compelletur.* Sed clarus hoc patet ex c. *Quanto* cit. quod est ejusdem Pontificis, ubi inquit, uno ex conjugibus fidelibus labente in heresim, vel ad ipsius gentilitatis errorem transeunte, non posse transire alterum ad secundas nuptias, *licet hoc casu major appareat contumelia creatoris*; ergo conjugi uno converso, si cohabitare licet alter velit, converti tamen nolit, est Innocentio cohabitare velle cum creatoris contumelia.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. D. Standum est pro valore et indissolubilitate matrimonii, nisi causa alia magis suadeat oppositum C. secus N. Oppositum vero suadet favor fidei, qui summus est, et in cuius favorem Christus concessit solutionem matrimonii; non faveremus autem fidei, si infidelis conversus tanto jugo subderetur, ut ad cœlibem vitam sine omni sua culpa eset adstrictus.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. Disparitas est. Solum matrimonium a baptizatis contractum et consummatum ex institutione Christi perfecte indissolubilem Verbi cum Ecclesiæ unionem per incarnationem significat; ergo debet habere indissolubilitatem omnimodam, qualis intercedit divinum Verbum inter et Ecclesiæ. Quod quoad substantiam aliis verbis exprimit INNOCENTIUS c. *Quanto* cit. inquiens: *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum; inter fideles autem verum et ratum existit, nimur ita, ut, cum fuerit consummatum, nulla possit ratione dissolvi, quia sacramentum fidei (Baptismus), quod semel est admissum, nunquam amittitur, et ratum efficit conjugii sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perdure, id est, semper.*

*Si quæras* denique, quando solvatur quoad vinculum matrimonium, de quo conclus. 3., etc.

R. Solvitur primum per ipsum matrimonium secundum, non vero per

ipsum baptismum, quia c. *Gaudemus* cit. tenetur fidelis recipere alteram, si ante matrimonium secundum convertatur ad fidem; ergo prioris matrimonii vinculum nondum solutum censetur ante ipsum secundum matrimonium.

## ARTICULUS II.

UTRUM IN LEGE VETERI DARETUR LIBELLUS REPUDII, EOQUE MATRIMONIUM SOLVERETUR QUOD VINCULUM INTER JUDÆOS?

387. Supponimus in lege naturee matrimonium quoad vinculum fuisse insolubile, ut patet ex Matth. 19. ubi Christus ait Moysen libellum repudii permisisse Judæis propter duritiam cordis eorum, ab initio autem non fuisse sic; h. e. a prima matrimonii institutione usque ad Moysen matrimonium fuisse quoad vinculum insolubile. Controversia tantum est de lege scripta, sive mosaica, an in ea libellus repudii, qui concessus legitur viris hebræe gentis Deut. 24. licite daretur a viro mulieri, eoque matrimonium solveretur quoad vinculum, ita ut repudiata uxor posset licite et valide nubere alteri; an vero permissus tantum fuerit, non tanquam lictus, sed tanquam minus malum, ad mala majora præcavenda, remanente adhuc matrimonii vinculo? Utramque sententiam problematice defendunt S. Thomas hic q. 62. a. 3. et 4. et Scotus et posteriorem quidem, quæ etiam S. Hier. L. 1. Comment. in Matth. c. 5. tribuitur, fuisse communiorem ætate sua S. Thomas cit. asserit. Prior tamen hodie magis recepta deprehenditur apud Canonistas æque ac Theologos.

Per libellum vero repudii intelligitur instrumentum authenticum, datum mulieri, quo a viro dimissa declarabatur et libera, ut duci posset ab omni viro, *juxta constitutionem Moysis et Israël*, ut in ejus formula refertur a scriptoribus. Debebat dari in scripto ipsi repudiatae, postquam Scriba expeditisset repudii causas, easque justas judicasset. Causas vero Scriptura sacra non nisi sub generico *fæditatis* nomine exprimit, scilicet non tantum physice et corporalis, sed et moralis, velut si intractabilis esset, continuo rixosa, incorrigibilis, etc.

Porro repudium et divorvum interdum confunduntur; hoc tamen inter ea est discriminis: *Primo*, divorvum tantum in separatione quoad thorum et cohabitationem consistit; repudium vero etiam solutionem quoad vinculum indicat. *Secundo*, divorvum sit tam ex parte viri, quam feminæ jam cognitæ: repudium vero ex præscripto legis inter Judeos tantum a viro poterat, non vicissim a muliere ipsi viro.

388. *Dico*. Licite, ex concessione divina, inter Judeos dari poterat libellus repudii, eoque matrimonium dissoluebatur quod vinculum.

*Prob.* Ex Deut. 24. ubi lex repudii sic a Moyse promulgata legitur: *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fæditatem; scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit; non poterit prior maritus recipere eam*

*in uxorem*. Atqui verba haec in sensu naturali et proprio veram permissionem juris, seu facultatem legitimam dimittendi uxorem, ac solutionem insuper quoad vinculum important; nec tantum meram tolerantiam minoris mali ad præcavenda graviora. Nam 1<sup>o</sup>. per haec: *cumque egressa alium maritum duxerit*, satis aperte supponitur, repudiata validè et lice nubere potuisse viro alteri; secus enim repudiata post repudium nupta alteri plures simul maritos habuisset; quod nunquam esse poterat, nec pro ullo concessum fuisse legitur. 2<sup>o</sup>. Haec: *dimittet eam*, ex sensu communi et obvio veram facultatem important; ergo ab hoc recedendum non est, cum nulla solida ratio a sensu proprio recedere cogat. 3<sup>o</sup>. Vir secundus appellatur maritus; sed talis dici non posset, si remaneret prioris matrimonii vinculum. 4<sup>o</sup>. Prohibetur viro primo, ne repudiata ac postea nuptam alteri, ab eoque iterum repudiata recipiat in uxorem; ergo esse uxor primi viri desierat.

*Conf. 1.* Speciali lege Levit. 21. v. 13. cautum erat, ne sacerdos uxorem viduam et repudiatam, ac meretricem acciperet; igitur aliis viris, sicut licuit ducere viduam, ita etiam repudiatam; quid enim speciali prohibitione opus fuisse respectu sacerdotis, si indiscriminatim id inhibitum fuisse omnibus?

*Conf. 2.* Si uxor repudio non fuisse solutum nuptiale vinculum; ergo nuptiæ tum mariti repudiantis cum alia, tum repudiatae cum marito novo fuisse adulterinæ, consequenter nec omisisset Deus eas reprobare ac reprehendere, ut alia populi sui vitia; nihil tamen ejusmodi unquam factum legimus, tametsi alias lex rigida adulteras lapidari præcipere.

389. *Obj. 1.* Christus Matth. 19. ait Moysen repudium permisisse Judæis ad duritiam cordis eorum, ac deinde revocat hanc permissionem, matrimonium ad institutionem primam, qua erat insolubile, reducens; ergo permittebatur tantum a Moyse ut minus malum ad excludendum majus, uxoricidia. *II.* Malachiæ 2. de viro uxore repudiante ex odio dicitur: *Operiet autem iniquitas vestimentum ejus*; ergo. *III.* Deut. 24. mulier repudiata, si nupsisset alteri, vocatur *polluta et abominabilis coram Domino*; cur vero ita vocaretur, nisi adulterinæ fuisse repudiatae mulieris secundæ nuptiæ? *IV.* Imo repudiata mulier et nubens alteri fornicaris accensemur Jerem. 3.; ergo.

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. N. Cons. 1<sup>o</sup>. Quia Moyses non sua, sed auctoritate divina, cuius erat executor, permisit. 2<sup>o</sup>. Quia Judeorum duritia solum occasio fuit concessionis istius: licet igitur illa culpabilis fuerit; permissione tamen, occasione duritiae facta, eos excusabat a culpa. 3<sup>o</sup>. Christus etiam polygamiam inhibuit, revocando matrimonium ad primævam unitatem; non ideo tamen polygamia tanquam minus malum permissa fuit. Deinde reprobavit libellum repudii Christus non pro lege veteri et mosaica, sed pro nova et gratiæ, utpote perfectiore, quam erat vetus scripta; proinde quod in veteri permissione solummodo fuit, ut minus bonum intuitu fragilitatis et obstinationis Judeorum, permittendum non fuit in nova.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. Ibi sermo est de repudio sine legitima causa, scilicet quod ex mero siebat odio; ante enim dicitur: *cum odio habueris, dimitte*, quod ironice dictum aiunt Interpretes.

*Ad 3<sup>um</sup>. R. cum S. Thoma cit. D.* Mulier ea dicitur polluta et abominabilis ob contractam culpam, cum nuberet viro secundo *N.* ob contractam immunditiam, ac irregularitatem legalem *C.* Hæc autem sine culpa contrahi poterat. Sic etiam immundus habebatur, qui mortuum, vel leprosum tangeret. Dici etiam potest, polluta et abominabilem vocari relate ad priorem virum, ita ut non posset amplius ab eo duci in uxorem, sique id fieret, futuram abominationem coram Domino. Fundamentum hujus hebraeus et græcus textus suppediat, ita habens: *quoniam hoc*, redire ad virum primum, *est abominatio coram Domino*: quippe si repudiata redire potuisset ad virum primum, mulier quasi ad tempus alteri viro commodata videri potuisset. Item sic repudiis via amplior et facilior patuisset; ac libellus repudii, hebreo populo ob hujus tantum infirmitatem concessus a Deo, fuisse instar lenocinii.

*Ad 4<sup>um</sup>. R. cum Bellarm. N. Ant.* Sed hic argumentum fit a minori ad majus; ita enim Propheta Dei nomine arguit: si mulier repudiata a viro suo redire ad ipsum non possit, quanto magis posset Deus non recipere populum, qui abiit post fornicationes suas, h. e. idolatriam aliave vitia; ea tamen ipsius clementia est, ut, si reverti velit, ipsum benigne recepturus sit.

390. *Quæres*: An durante lege veteri repudium licuerit etiam gentibus cæteris? Apud has in usu fuisse constat ex gentilium scriptoribus; nam de Cretensibus id memoriae prodidit Aristot. L. 2. Ethic. c. 8. De Atheniensibus Alexander Genial. dier. L. 4. c. 8. De Romanis Plutarchus Problematis. c. 13. et patet ex Rubrica et textibus ff. h. t. ubi etiam forma præscribitur: quin apud nos etiam mulier repudiare poterat virum: unde *Martialis*: *Mense novo Jani veterem Proculeia maritum deseris, atque jubes res sibi habere suas*; quæ ultima verba formulam important: *res tuas tibi habeto*; vel: *agito*, etc. Licitum vero fuisse aliis gentibus negant Sotus et alii, quod de hac dispensatione divina quoad gentes nihil expressum extet in sacris litteris. Verum etiam de dispensatione divina cum gentibus quoad pluralitatem uxorum nihil expressum legitur in utriusque Testamenti tabulis; et tamen dispensationem, vel rectius concessionem divinam ad gentes quoque extensam fuisse eruitur ex Aug. L. 22. cont. Faustum. Docet Bellarm. L. 1. de Matrim. c. 11., Valent. aliisque plurimi: unde *affirmativa* sententia æque probabilis est.

### ARTICULUS III.

#### AN MATRIMONIUM FIDELIUM CONSUMMATUS POSSIT DISSOLVI QUOD VINCLUM?

391. *Nota I.* Matrimonium fideliū tametsi consummatum solvi posse etiam quoad vinculum quinque de causis Lutherus censuit Lib. in c. 7. primea ad Cor. 1<sup>o</sup>. Ex causa adulterii unius conjugum. 2<sup>o</sup>. Si fictus christianus deserit christianam conjugem. 3<sup>o</sup>. Si conjux conjugem pertrahat ad peccatum. 4<sup>o</sup>. Si ob frequentes rixas cohabitatio alterutri accidat molesta. 5<sup>o</sup>. Si diu absit alter conjugum. Calvinus contra Lib. 14. Instit. c. 19. ex solius adulterii causa dissolvi matrimonii vinculum posse contendit, tametsi

consummatum fuerit. Atque etiam hac ætate nostra Græcos dissolvere matrimonium, cui adulterium supervenerit, notum est, eamque praxin inter eos viguisse tempore Tridentinæ Synodi habetur ex Pallavicino Lib. 22. Hist. Conc. Trid. c. 4. scribente de canone septimo sessionis 25. Item tempore Florentinæ ita receptum fuisse Græcis, ex eadem Synodo perspicuum fit; etenim Sess. 25. postquam edita fuisse confessio fidei, ita Græcus quidam loquitur: *post haec Latini quasivere a nobis: quare conjugia dirimitis*, etc. Imo huic errori inhæsisse seculo XIII. fidem facit Guido Carmelita, qui circa initium seculi XIV. floruit.

392. *Nota II.* E Catholicis tres, Cajetanus, Catharinus, Launois circa matrimoniale vinculum paulo liberius sensisse notantur. Cajetanus quidem Comment. in c. 19. Matth. solvi illud posse judicat ex adulterii causa, *salva tamen semper Ecclesiæ definitione, quæ, ut inquit, non appareat*. Verum, quod ad excusandum, vel refellendum Cajetanum sufficit, videtur, cum hoc scriberet, vel non ponderasse, vel oblitus fuisse illius, quod Florentina Synodus anno 1439. in Decreto edixerat. Etenim Sess. 25. EUGENIUM IV. sic Græcos allocutum constat: *Primo dico, omnes conqueri de separatione Matrimonii, idque correctione indiget*. Tum post pacificum Græcorum discessum Eugenius in Decr. (Labb. t. 13. p. 539. B.) sic enunciavit: *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contractum perpetuum sit*. Vixit autem Cajetanus ferme integro post seculo, quippe anno 1534. demortuus.

Catharinus L. 5. Annotat. cont. Cajetan. et Opusc. de Matrim. q. ult. ex eadem causa quidem solvi posse matrimonium autumat, quod nec ex Evangelio, nec Apostolo possit colligi, non licere in causa fornicationis aliud inire Matrimonium; cum tamen ecclesiasticis sanctionibus vetitum esset, ad separationem ejusmodi necesse esse, Ecclesiæ accedit auctoritas. Quod Catharini dictum magis solubilitati matrimonii favere, quam illud Cajetani, forte nonnemini videbitur, cum Catharinus ipsi etiam Tridentinæ Synodo interfuerit. At sciendum, interfuisse quidem eumdem huic Concilio, sed non supervixisse sessioni 24. in cuius can. 7. dogma de insolubilitate matrimonii definitum fuit.

Launoii demum opinio Tr. de Reg. in Matrim. potest. his capitibus continetur: 1<sup>o</sup>. Constantem fuisse in Ecclesia traditionem ad usque Synodi Tridentinæ tempora, solvi posse adulterii causa vinculum matrimonii. 2<sup>o</sup>. Quæstionem de solubilitate, vel insolubilitate conjugalis vinculi ex adulterii causa, ac canonem a Tridentino hac de re conditum non dogma et doctrinam, sed meram disciplinam complecti. Imo 3<sup>o</sup>. viguisse olim inter Christianos morem dissolvendi matrimonium ex bona gratia, h. e. mutuo conjugum consensu ad usque Justiniani tempora, qui primus, ne porro fieret, id lege cavisset. Quid de hac Launoii mente sentiendum, ex probationibus sequentis conclus. palam fiet.

393. *Dico.* Dogma catholicum est atque orthodoxa veritas, et ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio ad nostra usque tempora propagata Ecclesiæ